29
14

Medicæ Dissertationes Tres:

Quarum Prima agit

De MORBIS qui ad INCURABILIUM classem referuntur;

Secunda

De FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS,

Háſque

Comitantibus CONTINUIS:

Tertia

CORTICIS PERUVIANI HISTORIAM

Uſúmque tradit.

BIBLIOTHECA

POſtquam Author, qui ſupradictas Diſſertationes editurus eſt, naturam atque cauſas Febrium intermittentium inveſtigare, varias Obſervationes ſive Hiſtorias praxi natas interponere; de *Corticis Peruviani* naturâ ac operationis modo, de methodis quibus tum præparandus tum præſcribendus ſit, déque infortuniis nonnullis ex ejus intempeſtiva adminiſtratione prognatis, diſſerere; ac demum præcipuas contra *Corticis* uſum objectiones diluere, decreviſſet: Omnia quæ ab Anno 1653. ad annum 1663. in hoc argumento ab aliis ſcripta ſunt, ſedulò perlegit ac penſitavit. Eo nimirum tempore, & à paucis ante annis, Febres intermittentes adeò graſſabantur, ut Malignarum nomen vulgò obtinuerint; In quarum curatione, *Cortex Peruvianus* magno cum ſucceſſu in Hiſpania, & Romæ, deinde per Europam cœpit exhiberi. Cùm verò Johannes Jacobus Chifletius Medicus Leopoldi Archiducis Primarius Anno 1652, iſtud remedium ad duplicem Quartanam, quâ Archidux tunc temporis infeſtabatur, profligandam uſurpâſſet, nec pro voto, ut aliàs, ſuccederet, libellum eo fine conſcripſit, ut ejuſdem uſum diffamaret. Cui Honoratus Faber (ſub nomine Antimi Conygii) reſpondit. Contra quem Fortunatus Plempius (nomine Melippi Protimi) acriter ſurrexit. Deinde & Gaudentius Brunatius & præcipuè Rolandus Sturmius & Sebaſtianus Baldus *Corticis* vindicias contra Plempium & Chifletium ſtrenuè ſuſceperunt. Præ cæteris autem Baldus (qui multa à quodam Bollo Mercatore Peruviano accipiens) de prima *Corticis* notitia ac utendi modo, necnon de *Arboris* ortu, loco natali, &c. non contemnendam Hiſtoriam reliquit. His accedunt & alii, qui de *Cortice* pauca, eáque obiter tradiderunt, ſc. Joan. Van-Honte, Jonſtonus, Galp. Bravo, Nardius, Wolfgangus Höferus, Williſius, Rolfincius, Schroderus, Grulingius, Bartholinus & Caſpar Kaldera Medicus Hiſpanus; Qui poſtremus de prima hujus remedii notitia, déque *Arboris* nomine ac loco natali luculenter diſſeruit. Hos & quotquot de hoc argumento ſcripſerant, poſtquam Author omnes penitus pervolverat; quæ ab aliis accepit, quæque Ipſe tum meditatus, tum expertus fuerit, in Volumen tandem diſpoſuit. Hæc autem nota eſſe voluit, ut locus ſuppeditetur inſerendis iis, & gratè commemorandis, quæ Viris eruditis (per Regiæ Societatis Lond. Secretarium) ſuper his ſecum communicare placuerit.

Quæritur quo anno Comes de Cinchon regimen regni Peruviæ ſuſceperit, quamdiu in illo commoratus, & quo anno in Hiſpaniam reverſus fuerit.

Quæritur etiam, num extet Icon *Arboris Peruviana* accuratior illâ quam Tho. Bartholinus ab Hieronymo Bardi tranſmiſſam nobis exhibuit.

Quæritur denique, num Viri Cl. Hieronymus Bardi (qui varias circa *Corticem Peruvianum* Epiſtolas ad doctiſſimos Medicos Sebaſtianum Baldum, Caſparem Kalderam, Thomam Bartholinum, &c. Româ ſcripſit) & Petrus Paulus Puccerinus (peritiſſimus Pharmacopola Romani Collegii Soc. Jeſu) hodie vivant, valeantque.

Londini, Menſe Februarii 1680.